

## I.4

### INQUISITIO

Senza data, Grosseto.

Deposizione rilasciata dall'anziano Ranieri, castaldo della terra di Grosseto, in relazione ai diritti vantati dagli Aldobrandeschi sulla città al tempo del conte Guglielmo e dei suoi predecessori. In Grosseto, convocato il *parlamentum* del comune di Grosseto nel palazzo dei conti.

Copia semplice fine XIII-inizi XIV secolo, ASS, *Capitoli* 20, c. 2v.  
Regesti: ASS, Ms B 21, n. 829, c. 236r; ASS, Ms. B 22, n. 1247 secondo, c. 58v.

In Dei nomine amen. Hec est copia instrumenti sic incipientis: congregato parlamento communis Grosseti in palatio dominorum comitum per sonum campane ut moris est, vir magnificus et illustris dominus comes Ildibrandinus, Dei gratia palatinus de Soana, in dicto parlamento viva voce proposuit quod de introitibus, proventibus et iuribus usitatis et habitis per bone memorie comitem Guillielmum patrem suum et antecessores suos in Grosseto et eius curia certus vellet fieri ut ipsius rationes et iura et communis Grosseti per omnia manutenere valeat et conservare; et hec sciendo et inquirendo diligenter de spetiali voluntate et mandato ipsius domini comitis convocatus Ranerius castaldus tamquam antiquior dicte terre et in predictis antiquitatis tam plene expertus et sacramento corporali per ipsum dominum comitem affectus ut dicat quod sit et sentiat atque vidit. In primis ad primum articulum infrascriptum per idem sacramentum interrogatus dixit quod de focolaribus comitum erat recipere pro quolibet focolari anuatim in festo Omnium Sanctorum XX solidos, exceptis franchis, et hoc solebat recolligere pro dicto domino comite antiquitus. Interrogatus de sale per sacramentum dixit quod comites habere solebant medietatem salis facti in Grosseto, salvo quod comites solvebant<sup>1</sup> medietatem apportature salis. Interrogatus de pedagio per sacramentum dixit quod antiquitus accipiebantur per comites pro qualibet salma salis duo denarii et passu processu temporis comune faciebat portam, que Nova Porta vocatur, statuendo condidit et sicut comites habebant duos denarios de qualibet salma salis, ita comune accipiebat unum denarium pro opera dicte porte, et quando percepit hoc dictus dominus comes Guillielmus hos tres denarios suo nomine colligi fecit et hoc usitatum. De pedagio autem aliarum salmarum de quibuscumque rebus et mercimonii essent dixit per sacramentum quod ad ipsorum voluntatem secundum valorem rerum pedagium pro dominis comitibus accipiebatur a forensibus tamen. Interrogatus de ratione portus per sacramentum dixit quod de corpore cuiuslibet ligni heneanti in portu fluminis habebant comites XX solidos et duas libras piperis, salvo quod si marinarii sive nante vellent grassam aliquam exportare de Grosseto, super hoc requirebant voluntatem et licentiam domini vel castaldi ipsius. Interrogatus per sacramentum super bandis et folliis dixit quod homicida erat ad voluntatem dominorum comitum in persona et avere, et quod de offensione sanguinis solebant habere comites predicti LX solidos et de alapa habebant comites V solidos. Interrogatus de deveto per sacramentum dixit quod comites non solebant ponere devetum nisi similiter devetum facerent per totum comitatum nec rumpere solebant devetum nisi quantum rumperent per comitatum. Interrogatus per sacramentum super vendictionem salis dixit quod comites solebant portari facere in una eorum domo et preconicabantur per terram ex parte dominorum comitum quod nullus salem venderet nisi prius sal eorum dominorum comitum venditum esset. Interrogatus de morientibus in Grosseto per sacramentum dixit forestarii sive forentis morientis incondito legittimo testamento omnia sua bona erant dominorum comitum, si ipsorum curie nichil legaverit in suo legato. Interrogatus per sacramentum de ratione pascui dixit quod pecudes veniebant in pascuis per dominos comites et per comune et quilibet utebatur ratione sua. Interrogatus de tempore quod hoc propter dictis dominis

<sup>1</sup> v nell'interlinea superiore con richiamo.

comitibus recipiebat dixit per sacramentum quod recordatur ipsum recepisse per XIIIII annos. Interrogatus de piscaria per sacramentum dixit quod piscaores Pisani et extrinseci pro qualibet<sup>2</sup> banca solvebant V solidos et pisces unum electo prius alio. Interrogatus super rationem bannorum per sacramentum dixit quod si aliquis pecuniam petitam coram castaldionibus non solvebant ad petitionem creditoris dabant castaldis bannum et si ipsum non observabant tollebat per eos bannum positum. Interrogatus etiam per sacramentum dixit quod ab exterisocorum pecudibus castaldi habebant caseos sabatinos incipientes ab introitu martii. Item habebant in vigilia resurrectionis Domini et in carneprimo pro ipsorum ratione. Quibus omnibus sic actis precepit idem dominus comes castaldis in dicto parlamento prout predicta sunt iura sua et communis Grosseti per ipsos plenarie conserventur. Actum Grosseti in palatio predicto et cetera. Sub anno Domini etcetera. Ego Gualteroctus et cetera.

---

<sup>2</sup> Segue i cassato.